

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XL

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XL.
DE TERE BINTHO
& THURE.

Terebinthorum alia mascula, alia foemella. *Theophrast. l. 3. c. 25.* Illa sterilis est: foeminarum alia fructum protinus rufum promit, lentis magnitudine qui concoqui nequit; alia viridem editum, rufum post modum tingit, & cum uva maturefcentem nigrum novissime facit, fabæ magnitudine. In Memphi Terebinthum arborem, à constitutione mundi satam ad sua usque tempora superfuisse scribit *Egesippus l. 4. c. 3. de excidio Hierosol.* Thus gignitur in Arabia privato quodam loco, in medio fere regionis post Aramitas pago Sabæorum. Minæi primi invenere, & jusin illud trecentarum tantum familiarum esse perhibetur, per successionem commune. A propinquis populis factæ dicuntur. Nam cum vulnerant arborem quo liquor defluat, aut cum metunt, nec foeminarum, nec funerum polluunt congressu. Mei solebat inciso arboris cortice, canis ortu, quod tunc esset humoribus maxime prægnans; qui ex arbore destillat, palmea excipiebatur tegete. *Scalig. exerc. 149.* Tam vili venire ibi scribit, ut eo naves pro pice liquefacto, inducantur. Cæterum fit ex thure medicamentum, quo nil ad lipitudinem & ruborem oculorum præstantius. Vna enim tantum nocte juvare affectos dicitur. *Mathiol. ad l. 1. c. 73. Diosc.* Accenditur Thuris grumus, acuto stylo affixus, cerea candela, mox in aquæ rosacæ uncias quatuor restinguitur, repetuntur incensiones, extinctionesque trigesies, & deinde percolata aqua linteolo mundo oculorum angulis cum penna vesperi illinitur, dum cubitum affecti sese recipiunt. Si rubor lachrymæque cum vehementi dolore accrescunt, lac muliebre restinguit, si tantum addideris.

CAPVT